



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de**

**Lvgdvni, 1659**

Cap. I. De iure, iustitia, & iniuria.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41066**



EXAMEN PRIMVM

De Iustitia & iure, circa materiam de Dominio.

CAPVT PRIMVM.

De Iure, Iustitia, & Iniuria.

§. 1.  
Ius.



1. *Vidnam est Ius?* Ius iustitiæ obiectum accipitur tribus modis. Primò pro iusto & æquo. Secundo pro lege. Tertio pro facultate ad aliquid, quo pacto quis dicitur vti iure suo. Hic equidem sumitur prout est idem quod æquum, & medium inter excessum, & defectum. Profectò à iure dicta est iustitia, cuius obiectum est ius.

2. *Quotuplex Ius?* Multiplex planè. Diuiditur enim in Ius Naturale, & Positiuum, Positiuum autem in *Distinuum*, & *Humanum*, Humanum verò in ius *Gentium*, *Ciuile*, & *Canonum*. Porro iuris peritis etiam triplex est ius, Generale, & speciale: publicum & priuatum: priuatum verò distinctum in ius naturale, gentium, & ciuile.

§. 2.  
Iustitia.

3. *Quid est Iustitia?* Constans & perfecta voluntas suum ius cuique tribuens, virtus vtique ad alterum, & solum inter æquales, reponitur inter Morales, & specialis virtus est. Hinc colligo inter patrem & filium non emancipatum, inter dominum & seruum, inter virum & vxorem non esse iustitiam.

4. *Circa quas actiones Iustitia versatur?* Circa internas in ordine ad alterum, & secundariò passiones moderatur, in voluntatèque quasi in subiecto posita est, & habet medium rei, cum aliæ virtutes medium rationis habeant.

5. *Quanam Iustitiæ perfectio?* Theologicis virtutibus, & Religione, & prudentia imperfectior est; reliquis verò præstantior.

6. *Quotuplex ex Iustitia?* Diuiditur in distributiua, & commutatiua. Iustitiæ distributiua materia est distributio præmiorum, munerum, dignitatum, officiorum, & beneficiorum, cæterorumque bonorum communium. Commutatiua verò iustitiæ materia duplex est, vna comprehendit contractus, qui commutationes voluntariæ sunt; altera delicta



sta & quasi delicta, quæ commutationes inuoluntariæ censentur.

7. *Quid est iniustitia? Violatio alieni iuris. Quisnam modis alteri fit iniuria?* Duobus. Primò commissione; secundò omissione. Iniustus est qui sciens, & volens iniustum facit: iniuriam non patitur nisi nolens. Nemo sibi, propriè loquendo, iniuriam facit; & potest quis iniuriam, iniustumve facere, & non esse qui iniuria afficiatur.

§. 3.  
Iniuria.

C A P V T I I.

*Quid sit Dominium, quotuplex, & in queisnam personis reperiatur.*

8. *Quid est Dominium?* Ius perfectè disponendi de re corporali, nisi lex obstat: vel conuentio prohibeat. Eius titulus est radix & origo, vnde dominium oritur.

9. *Quotuplex dominium, & dominij titulus?* Titulus quidem dominij duplex est, verus scilicet, & præsumptus siue coloratus. Dominium autem triplex est. Primum iurisdictionis. Secundum plenum & non plenum. Tertium directum, & vile.

10. *Quisnam in personis dominium reperitur?* Solæ res rationales capaces dominij sunt, vt Deus, Angeli respectu suarum operationum, homines etiam pueri, & peccatores. *Filij familias?* De peculio castrensi, vel quasi castrensi dominium habent; de aduentitio directum tantum, de profectitio nullum. *Serui?* Non habent dominium absque consensu domini in quibusdam casibus habent.

11. *Quid de dominio Clericorum?* Eorum bona triplicia, patrimonialia, quasi patrimonialia, & ex re Ecclesiastica. De primis duobus verum dominium habent. De Ecclesiasticis quoad redditus, domini sunt, etiam eius partis, quæ congruè sustentationi superest, sed obligantur sub mortalis peccati reatu eam in pia opera expendere secundum tutiorem sententiam.

12. *Regulares capaces ne dominij sunt?* Professi minimè. Scio eos, qui beneficiarij sunt, in pias causas fructus posse dispendere. Porro Superiores Regulares habent bonorum Religionis administrationem: rerum tamè stabilium administrationem concedere non possunt, nisi officialibus, ex Trident.

13. *Homa*